



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem tertiam decimam quaeritur utrum informitas materiae praecesserit tempore formationem suam et, ut extendatur quaestio, utrum Deus possit facere materiam primam sine forma existere.

Videtur quod sic, quia «materia est potior accidente, cum materia sit pars substantiae. Sed Deus potest facere accidens sine omni subiecto; ut patet in sacramento altaris. Ergo et materiam sine omnia forma sua.

Praeterea. Quod informitas praecesserit, patet sic. Quia natura in operatione sua operationem divinam imitatur, sicut causa secunda primam. Sed in operatione naturae informitas praecedet formationem. Ergo etiam in operatione Dei in illis sex diebus.

Contra. Imperfectio effectus arguit imperfectionem in agente. Sed agens perfectissimum est Deus, quia Dei perfecta sunt opera. Ergo opus suum numquam fuit informe.

Ad evidentiam quaestionis sunt tria videnda. Primum qualiter secundum Augustinum et alios sanctos informitas materiae praecessit formationem. Secundum quod Deus non potest facere materiam actu sine forma existere. Tertio tanguntur quaedam obiectiones quibus quidam isti opinioni contradicunt.

Quantum ad primum dicendum quod Augustinus aliter posuit informitatem materiae praecedere et alii. Cum enim Augustinus posuit omnia simul creata et distincta secundum species suas, ponit informitatem huiusmodi natura praecedere non tempore vel duratione, accipiens per informitatem materiae materiam nudam sine forma. Unde posuit informitatem eo modo praecedere, quo potentia prior est actu in creatura et pars toto.

Alii vero sancti, ut Basilius et Ambrosius et Chrysostomus dicunt informitatem materiae et duratione praecedere formationem eius. Per istam autem informitatem non accipiunt carentiam omnis formae, quia illud est impossibile, ut patebit. Sed dicitur informitas secundum quod excludit formositatem et decorem, quae postea fuit, sicut etiam nec apparet in creatura corporea. Triplex autem talis formositas deerat in principio temporis rebus creatis, ut accipi potest ex primo capitulo Genesis, propter quod proprie informitas dicebatur. Deerat enim a toto corpore dyaphano, quod dicitur caelum, pulchritudo lucis, unde dicitur quod tenebrae erant super faciem abyssi. Deerat secundo terrae duplex pulchritudo. Una, quam habet ex hoc quod aquis est discooperta, et quantum ad hoc dicitur quod erat inanis et invisibilis, quia propter aquas undique visui non potebat. Deerat etiam terrae alia pulchritudo, quam ex hoc habet quod /38va/ est ornata herbis et plantis, et quantum ad hoc dicitur quod erat vacua vel incomposita secundum aliam litteram, idest non ornata. Et sic informitatem illorum duorum scilicet terrae et caeli tangit, cum dicitur quod tenebrae erant super faciem abyssi et terra erat inanis et vacua.

Quantum ad secundum sciendum quod nulla potentia potest habere operationem sibi debitam, ubi deficit ratio sui obiecti, sicut quia obiectum potentiae visivae est visibile, quod non potest habere rationem visibilem nec potest a potentia visiva apprehendi. Modo certum est quod proprium obiectum potentiae divinae est ens, quia esse est proprius effectus Dei, ut supra declaratum fuit. Ergo omne illud, quod potest esse obiectum potentiae divinae, oportet quod secundum se rationem entis habeat et quisquis rationem entis habere potest a Deo fieri potest. Inde est quod Deus alium Deum non potest



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

facere, quia de ratione entis est, unde factum est quod ab aliqua causa dependeat, Deo autem dependere ab aliquo repugnat. Id ergo Deus non potest facere quod repugnat entis rationem, sed solum non ens repugnat enti, quia non ens tollit ens secundum quod ad idem refertur. Et ideo non potest facere unum et idem simul esse et non esse, quia implicat contradictionem. Nec potest etiam facere contraria vel privativa respectu eiusdem, quia contradictio includitur in contrariis et in oppositis privative, quia si album est, non est nigrum, et si est videns, non est caecum. Sed materiam creare actu sine forma implicat contradictionem, ergo hoc non potest Deus facere. Quod autem contradictionem implicat, patet sic. Quia si materia duratione praecessit ipsam formam, oportet necessario quod fuerit actu, cuius ratio est, quia si duratione praecessit et tempore, cum tempus non mensuret, nisi actum existendi, quia res durare non dicitur dum est in potentia. Oportet necessario, si praecessit formam materia ipsa duratione et tempore, quod ipsa materia actu fuerit. Vel igitur materia est actus, vel potentia participans actum non potest dici quod sit ipse actus, quia ratio materiae est potentia distincta ab omni forma in actu. Unde, VII Metaphysicae, dicitur quod essentia materiae est alia ab essentia cuiuslibet predicabilis, idest formae. Relinquitur igitur quod non potest esse actu, nisi in quantum participat actum. Sed actus participatus a materia est forma dans esse materiae. Ergo dicere materiam tempore praecedere formam et esse actu est dicere materiam non habere formam et formam habere. Et istud est dicere contradictoria. Ergo Deus hoc facere non potest, scilicet quod materia possit actu existere sine forma.

Modo contra hoc arguunt aliqui multipliciter. Primo sic. Quamvis enim forma sit actus, non tamen est omnis actus, quia non est esse. Ergo ipsum esse poterit inesse alicui sine forma, cum non sint idem, scilicet forma et esse. Quod autem non sint idem, patet sic. Quia nihil est in potentia respectu sui, forma autem est in potentia respectu esse. Ergo non sunt idem.

Secundo sic. Quaecumque possunt separari secundum intellectum nostrum, Deus potest ea separare secundum esse, sed materia potest separari a forma secundum intellectum nostrum. Ergo Deus potest eam a forma separare.

Tertio sic. Quamvis enim forma sit principium essendi materiae, non tamen est principium primum, sed Deus est tale. Modo constat quod Deus potest producere omnes effectus causarum secundarum sine ipsis causis secundis, quia ipse Deus plus influit in causatum secundae causae quam quaecumque secunda, cum ipse sit prima causa. Ergo sine forma potest dare esse materiae. Et ideo, cum dicitur quod Deus non potest dare materiae esse, sine forma, est propinquum errori damnato, quod Deus non potest producere effectum causae secundae sine causa secunda.

Unde dicunt quod de ratione materiae non est esse in potentia simpliciter, sed est etiam esse solum in potentia secundum cursum naturae inditum rebus.

Unde esse in actu secundum potentiam super naturam et esse in potentia secundum cursum naturae, non dicunt contradictionem.

Unde ipsi dicunt quod esse materiae non dependet tantum ab esse formae, sed etiam a primo principio. Ergo non est contradictio dicere materiam sine forma.

Sed isti in positione deficiunt et in rationibus suis. Primo quod dicunt quod non est de ratione materiae simpliciter esse in potentia tantum, planum est quod falsum dicunt, quia autem est de ratione



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

materiae esse in actu tantum aut in potentia tantum aut esse in nihilo non in actu, quod de se patet, nec quod sit nihil, quia tunc generatio quae est de materia esset de nihilo et sic generatio esset creatio. Ergo de ratione materiae est in potentia esse simpliciter; et hoc patet, quia omnis potentia in istis inferioribus reducitur ad potentiam materiae, illud autem ad quod omnia reducuntur. Unde tale oportet quod sit simpliciter tale, sicut ignis ad quam reducuntur omnia calida est simpliciter calidus. Sed quod postea dicunt quod esse in actu non dependet ab esse formae, dico quod falsum est, quia esse actu, de quo loquitur, nunc quod duratione mensuratur actu existendi, non potest esse, nisi ab actu formae. Et si dependeat a Deo ipsum esse hoc est effective, tamen formaliter dependet a forma.

Ad primam rationem, quando dicunt quod, quamvis forma sit actus, non tamen est omnis actus, dico quod immo est omnis actus, dans esse materiae, quia non est possibile quod materia esse habeat, nisi per formam, quod patet quia certum est quod, si materia subsistit in esse, oportet /38vb/ quod illud esse formaliter sibi insit et sit forma eius. Et tunc non est materia nuda, sine forma, cum formalissimum inter omnia sit esse.

Praeterea. Dicunt aliqui quod simpliciter idem sunt forma et esse, sed sola ratione differunt.

Praeterea. Non valet : non sunt idem, ergo unum potest esse sine alio. Constat enim quod forma non potest esse sine esse, non tamen sunt idem. Ergo argumentum nihil probat.

Ad secundum dicendum quod intelligere unum, sine alio potest intelligi, dupliciter. Uno modo quod intelligatur unum sine alio, sicut possum intelligere hominem sine Sorte. Et hoc modo non possum intelligere materiam sine forma, cuius ratio est, quia quod per se intelligitur, oportet ipsum esse ens actu, quia quod subterfugit actum subterfugit esse intellectum per se. Unde IX Metaphysicae, dicitur quod quamdiu aliquid est in potentia est latens. Quando autem fit actu, tunc apparet. Numquam ergo aliquid est obiectum intellectus, nisi ut est actu vel ordinem habet ad actum. Sed quia materia non dicit de se actum, sed dicit ordinem ad actum. Ideo secundum se non est intelligibilis, nisi per analogiam ad formam.

Alio modo potest intelligi aliquid sine alio, quod scilicet intelligitur esse sine eo, sicut homo sine albedine. Et tunc certum est quod materia etiam non potest intelligi sine forma, ut visum est. Sic ergo nullo modo potest intelligi materia sine forma et sic nec esse a quocumque agente. Vel dicendum quod non sequitur potest intelligi, ergo et esse. Possum enim intelligere animal sine hoc animali, non tamen potest animal esse sine hoc animali.

Ad tertium dico quod Deus potest facere quod faciunt secundae causae. Verum est quantum ad efficientes non quantum ad formales. Et primo modo est condemnatum secundo modo non. Sed nec est error dicere quod Deus non potest dare album esse sine albedine.

Ad argumenta. Dicendum ad primum quod non est simile de accidente et materia, quia accidens actus est, sed materia est ens in potentia. Et ideo magis repugnat materiae esse sine forma, quantum accidenti sine subiecto, cum esse sit a forma, accidens autem quaedam forma est.

Ad secundum dicendum quod non est simile de Deo et natura, quia natura producit ens actu de ente in potentia per motum. Et ideo oportet quod ens in potentia praecedat tempore, non tamen sine omni forma. Sed Deus producit ens actu ex nihilo; ideo secundum magnitudinem virtutis suae potest statim producere effectum perfectum.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum post opus creationis necessarium fuerit opus distinctionis. Et est quaerere qualiter illa quae sunt primo creata quasi informatur per aliquos dies postea sint distincta.

Ad cuius evidentiam sciendum quod in operibus sex dierum sic est natura instituta, ut etiam ipsa per sua principia subsisteret. Et ex ea sic instituta posset alia propagari per mutuam actionem et passionem. Et ad hoc fuit necessarium eis conferri virtutes activas et passivas, quas Augustinus vocat rationes seminales, inquantum ex eis seminalia producuntur. Sic igitur quantum ad esse ipsarum rerum in se subsistentium, tantum sumitur opus creationis. Sed quantum ad collationem virtutum praedictarum sumitur opus distinctionis et ornatus, sed hoc convenit dupliciter, quia istarum virtutum activarum et passivarum quaedam movent ad omnem speciem, ut calidum, frigidum, humidum, siccum. Quaedam autem movent ad species determinatas, ut virtus quae est in semine leonis movet ad producendum leonem et sic de aliis. Per opus ergo distinctionis sunt rebus institutis collatae virtutes communes moventes ad omnem speciem, quod factum est in tribus primis diebus. Sed per opus ornatus collatae sunt rebus sic generaliter distinctionis virtutes moventes ad species determinatas. Et sic omnia sunt ornata. Ista autem distinctio, quae habet fieri secundum virtutes communes activas et passivas, non potest nisi tripliciter variari, quia cum omnis motus variationis reducatur ad unum principium, alterans non alteratum, quod est caelum, oportet in principiis essentialibus mundi esse tria. Secundum quod est alterans non alteratum, ut caelum, secundum quod est alterans alteratum, ut media elementa quae sunt ignis, aer et aqua et tertium et ultimum est minus habens de virtute alterandi, scilicet terra.

Ad hoc ergo quod communiter fieret distinctio inter ipsa, oportuit distingui primum ab ultimo et hoc est factum die primo per lucis productionem, per quam distinguitur caelum a terra, quia lux est in caelo fontaliter participante in elementis mediis. Sed ultimum elementum, scilicet terra caret luce et minimum habet de ea.

Secundo oportuit distinctionem esse primi a medio quod factum est die secunda, quando divisae sunt aquae inferiores ab aquis superioribus facto firmamento.

Tertio est distinctio medii ab ultimo, scilicet aquae a terra, quando congregatae sunt aquae in locum unum et apparuit arida. Et sic patet distinctione facta in tribus diebus.

Tertio quaeritur utrum lux sit accidens. Videtur quod non, quia nullum corpus est accidens. Sed secundum Augustinum libro De libero arbitrio, lux inter corpora tenet primum locum. /39ra/ Ergo non est accidens.

Contra. Dicit Avicenna quod lux est qualitas corporis lucidi, inquantum huiusmodi. Et quia lumen est qualitas quam mutuatur dyaphanum a corpore lucido, ergo tam lux quam lumen est qualitas.

Omissis opinionibus antiquorum, quarum quaedam dicunt quod lux est corpus, alii quod est forma substantialis ipsius solis, advertendum quomodo inter modernos sunt duae opiniones, quarum quidam dicunt quod lux non est qualitas realis habens esse firmum in natura, sed tantum intelligibile. Et ad hoc adducunt duas rationes inter alias.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

Prima est quia illud quod dat alicui esse aliquod, multo magis habet tale esse, sicut quod Deus est causa essendi omnibus aliis, ideo ipsum esse est. Sed lux dat esse spirituale colori, unde esse coloris in medio, quod a luce est, est esse intentionale. Ergo multo fortius ipsum lumen vel ipsa lux habet esse intentionale.

Secundo modo ad hoc, quod nulla qualitas habens esse naturale superposita organo visus, immediate potest videri. Sed lumen videtur contingens pupillam. Ergo non habet esse reale, sed intentionale. Sed quamvis ista opinio sit subtilis, tamen aliis non placet. Et videtur quod habeat esse reale, cuius duplicem rationem assignat.

Prima, quia nulla qualitas intelligibilis denominat subiectum suum: color enim, quia habet esse in aere secundum intentionem tantum, non denominat aerem coloratum. Sed lux subiectum suum denominat: dicimus enim quod aer est lucidus idest informatus luce, ergo non habet tantum esse intentionale, sed reale.

Secundam rationem assignat talem, quia nulla qualitas secundum esse intentionale causat transformationem realem. Numquam enim intentio colorum potest causare transformationem naturalem in visu secundum quod intentio, nisi forte ratione alicuius delati realis usque ad pupillam. Sed lux est qualitas causans transformationem naturalem, ergo non habet esse intentionale, sed reale in natura. Et confirmatur ratio per Avicennam, qui dicit quod sicut ignis non agit nisi mediante calore, ita nulla actio in istis inferioribus causatur a superioribus corporibus nisi mediante luce.

Unde dicunt isti quod, sicut calor est qualitas activa ignis, consequens formam eius substantialem, ita lux est qualitas activa, consequens formam substantialem solis vel cuiuslibet corporis alterius a se lucentis, si sit aliquod tale corpus, cuius signum dicunt, quod radii diversarum stellarum habent diversos effectus secundum diversas naturas corporum.

Iuxta quod advertendum quod, cum caelum sit primum alterans non alteratum, sequitur quod omnis alteratio perficitur per virtutem lucis, quae est qualitas activa ipsius caeli; et hoc sive sit alteratio secundum esse naturale sive secundum esse intentionale. Unde ex hoc quod ipsa lux habet esse qualitas primi alterantis, inde est quod ipsa confert omnibus ad generationem secundum dionysium; inde etiam est quod coloribus confert esse spirituale secundum quod recipiunt esse in medio. Et per hoc patet de facili solutio ad rationes aliorum, qui dicunt quod habet tantum esse intentionale non reale. Quia quod lux det esse intentionale, hoc est de virtute primi alterantis. Ergo secundum hoc illud alterans habet esse intentionale, dico quod falsum est.

Et praeterea non oportet quia nobilius est esse firmum et ratum in natura quam esse intentionale. Modo quicquid habet causa debet habere nobilius quam effectus.

Modo sunt aliqui qui adducunt novas rationes ad ostendendum quod lux non sit accidens reale. Et arguunt sic, quia si est qualitas activa solis, cum sol luce calefaciat et ipsa luna recipiat lumen a sole, ergo ipsa luna calefaceret, quod non est verum, cum non sentiamus calorem eius.

Secundo, sicut ignis multiplicat flammam et lucem in aere, ita sol lucem suam, sed lux ignis non est in igne qualitas activa ignis qua agit, ergo nec in sole. Et ideo dicunt isti quod lux non est qualitas activa nec per ipsum agit corpus caeleste per se, nec stella, nisi per accidens. Dicunt enim quod stella



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

plus influit quam alia pars orbis, inquantum est densior pars orbis, et sic quia plus habet de materia orbis et per consequens de virtute; ideo plus est ibi de luce inquantum partes eius sunt congregatae. Unde secundum ipsum accidit ipsi luminoso, quod plus influat cum luce quantum sine luce. Unde ponit quod influxus est per motum. Sed nec istae rationes concludunt nec modus ponendi valet quod enim dicunt quod stella plus influit propter maiorem densitatem.

Contra. Eadem condensatio partium et congregatio materiae est in hieme et in aestate maxime, quia sol est nobis propinquior in hieme quam in aestate, ergo congregatio non facit influxum.

Si /39rb/ autem dicas, sicut alii dicunt, quod quamvis sit nobis propinquior in hieme quam in aestate, tamen quia in aestate est nobis perpendicularior, habeo duo contra te.

Primum quod aliquid sensibile et corruptibile est vis activa solis, aliter perpendicularitas nihil faceret ibi, nec potest aliud sensibile dari quam lux.

Secundo habeo quod non influit per motum, quia ad motum nihil faceret perpendicularitas.

Item secundum hoc dies lucidiores non essent calidiores, quod falsum est. Ideo oportet dicere adhuc quod lux est qualitas activa mediante qua stella nobis influit.

Ad primam rationem suam dico quod secundum Philosophum I Metaphysicae noctes clarae sunt calidiores, licet per accidens possit impediri.

Praeterea. Non oportet quod luna tantum calefaciat ut sol, quia non tantum participat de lumine. Ad secundum dico quod non eodem modo se habet lux ignis ad ignem, sicut lux solis ad solem, sed sicut calor ad ignem, ita lux ad solem.

Praeterea. Constat quod oportet dare vim aliquam activam mediante qua sol agat et causet calorem, quod non potest esse motus, qui convenit toti corpori caelesti et maxime primo mobili.

Item tunc Saturnus magis calefaceret, cum velocissime moveatur, cum tamen magis habeat de frigiditate.

Ad argumentum dico quod accipit Augustinus ibi lucem pro corpore lucido actu, scilicet pro igne qui inter quattuor est nobilius elementum.

Modo insurgit hic aliqua difficultates, quia non videtur quod mare sit locus naturalis aquae, quia quanto aliqua elementa sunt formaliora, tanto sunt maiora in quantitate. Certum est autem quod aqua formalior est quam terra et ideo maior debet esse. Ideo sicut ignis ambit totum aerem, ita aer totam aquam, et aqua totam terram, et ita locus naturalis aquae non esset mare, sed tota terra.

Secundo quia si mare sit locus naturalis aquae, cum motus et recessus a loco naturali sit violentus, tunc recessus aquae a mari esset violentus, quod non est verum.

Ad evidentiam solutionis istorum suppono duo. Primum quod principale et principium intentum a natura est forma sive esse. Secundum est quod quanto aliqua sunt formaliora, tanto sunt maiora et magis de intentione et portione universi.

Unde caelum est maximum et primum locans. Certum autem est quod ignis inter alia elementa est formalior, ideo et maior, inde est etiam quod ambit in sua circumferentia totum concavum orbis luce. Aer autem qui post eum est formalior ambit totum concavum ignis.

Modo terra, cum sit materialior et minus formalior, locum tenet minimum inter cetera et est quasi centrum, sed aqua, quae tenet medium consequitur terra immediate. Ideo minorem locum occupat



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, *Graz, Universitätsbibliothek*, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

quam aer, ita quod non occupabit totum concavum aeris, sed partem perfecte tantum et alia pars est portio terrae sine aqua; et istud est rationale. Videmus enim quod quanto aliqua sunt propinquiora caelo, tanto plus motum eius participant. Unde ignis in sua sphaera movetur motu caeli, scilicet sphaerice secundum se totum et totaliter. Aer autem, qui plus distat, movetur sphaerice non secundum se totum, sed secundum sui supremam partem. Et quod hoc sit verum, patet in stella cometa, quae semper movetur maiori motu firmamenti, quae tamen est in aere. Aqua autem minus movetur, quia non secundum se totam nec totaliter movetur motu caeli, scilicet sphaerice, sed imperfecte, ut patet influxu et refluxu maris. Et quia motus sequitur naturam, ita sicut deficit a motu, ita a natura et formalitate, et per consequens a continentia maxime, cum motus sphaericus consequitur figuram sphaericam.

Hiis visis patet ad primum, quia quamvis aqua sit formalior terra et per consequens maior, quia tamen deficit a formalitate quam sequitur motus sphaericus, non oportet quod sphaerice ambiat totam terram.

Ad secundum dicunt aliqui quod mare est altius quam terra, sicut experimento probatum est de mari rubeo. Et ideo exitus aquarum a mari, cum sit sursum non est violentus. Aliter potest dici quod duplex est locus qui debetur aquae: unus secundum naturam, alius secundum quod movetur a continente locante, scilicet caelo. Locus primo modo debitus ipsi aquae scilicet naturalis sibi, in quantum est gravis, est mare. Sed locus sibi debitur per comparisonem ad primum movens, cuius influentiam nata est recipere bene, est extra mare in quantum virtute caeli movetur ad productionem mixtorum. Et ille motus dicitur et est sibi naturalis, quia quicquid inest corporibus inferioribus ex virtute primi alterantis, est eis naturale. Dato etiam quod esset contra naturam eorum particularem, sicut patet defluxu et refluxu maris, quia ille motus inest mari ex virtute luce. Hoc etiam apparet de motu ignis in sphaera sua qui sphaerice movetur virtute caeli, sed secundum suam naturam habet motum sursum.

Modo hic est unum dubium. Apud aliquos /39va/ dictum est enim quod corpus, quanto est maius et formalius, tanto debitur sibi locus maior; ita quod locus debitur ipsis elementis ratione formarum essentialium.

Contrarium autem huiusmodi dicunt aliqui nolentes quod locus debeatur eis ratione qualitatum accidentalium, et hoc arguunt maxime ex hoc quod semper elementa immediate unita conveniunt in una qualitate, ut aer et ignis conveniunt in caliditate. Et ideo ratione qualitatis communis dicunt elementis deberi talem locum. Sed illud non est verum, quia caelum est primum locans cuius influentia locare habet alia. Certum est autem quod influentia caeli recipitur et determinatur immediate et principaliter in formas substantiales.

Et praeterea. Elementa ordinantur loco secundum quod habent conformitatem maiorem ad primum mobile, quod caret contrario. Ergo cum formae substantiales elementorum careant contrario, magis attenditur ordo inter elementa secundum formas substantiales eorum quam secundum qualitates quibus inest contrarietas.

Praeterea. Constat quod situs consequitur ordinem naturae. Ordo autem naturae est essentialis et talis ordo est per formas substantiales. Nec sua ratio valet qua dicitur quod locus ratione qualitatum similium debetur eis, non est verum. Sed per tanto data est elementis immediate ordinatis qualitas



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XIII, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 38rb-39va
transcribed by Andrea Colli

similis, quia locus cum hoc quod locat, conservat, et etiam qualitas bene facit ad conservationem. Ergo data est qualitas similis, quod tamen talis locus sibi debeatur, hoc est de ratione formarum essentialium ad invicem secundum gradum naturae ordinarum.

Tertio quaeritur de opere quartae diei, quae est primum dies ornatus, utrum illa convenienter sint producta duo luminaria magna.

Videtur quod non, quia secundum astrologos multae stellae sunt maiores luna, ergo sol et luna non debuerunt poni duo luminaria magna.

In contrarium sufficit auctoritas Scripturae.

Responsio. Dicendum quod convenienter ornatus incipit quarto die. Cum enim ordo ornatus rendeat ordini distinctionis secundum modum naturae et ordinem quo facta fuit tribus diebus, distinctio rerum debuit etiam postmodum esse ornatus.

Primo autem diem facta fuit distinctio primi ab ultimo, scilicet caeli a terra et ideo convenienter debuit ornari caelum. Ille autem ornatus caeli attenditur congrue in istis luminaribus et stellis, quia cum virtutes collatae rebus moventes ad species determinatas pertineant ad ornatum et etiam in istis stellis contineantur diversae virtutes particulares respectu generalis virtutis totius caeli, congrue stellae ipsae factae sunt et productae primo die ornatus, scilicet quarto die. Inter alia vero maxime debuit fieri mentio de istis luminaribus duobus ratione virtutis eorum quam maxime sentimus in istis inferioribus. Per hoc patet solutio ad obiectum.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis de ornatu trium elementorum, scilicet aeris qui ornatur avibus et aqua quae ornatur piscibus et terrae quae ornatur gressilibus, utrum sit conveniens.

Dicendum quod ornatus ille valde est conveniens. Ad cuius evidentiam sciendum quod animalia non dicuntur esse ornamenta elementorum, nisi ut ad ipsa comparantur, ut locatum ad locum. Comparatio autem corporis ad locum est secundum motum et quietem. Modo advertendum quod motus alicuius animalis est duplex. Unus qui consequitur naturam corporis eius et secundum virtutem elementi dominantis in corpore mixto. Alius vero qui sequitur appetitum et apprehensionem ipsius et hoc est motus proprius animalis in quantum animal. Sed primus motus animalis est in quantum corpus naturale mixtum et compositum ex quattuor elementis. Animalia autem dicuntur pertinere ad ornatum elementorum secundum motum qui debetur eis in quantum animalia, sed non in quantum levia vel gravia corpora. Et ideo ad illius elementi ornatum dicitur pertinere illud animal quod habet motum proprium animale in illo; non ad quod movetur naturaliter in quantum corpus grave. Licet igitur omnia animalia moveantur secundum motum gravis ad terram, quia tamen secundum motum animale gressibilia habent motum in terra, pisces in aqua, aves in aere, ideo congrue ista tria elementa istis tribus generationibus animalium sunt ornata, scilicet terra gressilibus, aqua piscibus, aer avibus.